

1347-1347- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Bononiam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Bononiam celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XLVII° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institutione supprioris, ubi dicitur: fratres autem post annos quatuor a professione, deleatur: quatuor, et dicatur: decem.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: infra quinquennium vero ab ingressu ordinis, deleatur hoc, et dicatur: infra decennium vero a professione.

Item hanc: In ordinario de oracionibus dicendis in missa, ubi dicitur: a deus omnium usque ad adventum, feria tertia, secunda oratio de beato Dominico, tertia: deus omnium fidelium, addatur: si vero missa de beato Dominico fuerit, secunda de sancto Thoma de Aquino.

Item. Quod de beato Petro confessore, quondam papa Celestino, fiat memoria · xvi · kalendas iunii¹.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione priorum provincialium, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ibi: si vero post confirmationem etc.

Item. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmatione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: Quod de sancto Vincencio fiat festum totum duplex. Et hec habet · ii · capitula. Et hoc in calendario et ordinario suis locis annotetur; magister autem de sequencia providebit.

Iste sunt ordinaciones.

Cum ordo noster in soliditate veritatis fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans, veritati sciencie et doctrine semper studuerit virtute constancie inherere, imponimus districte fratribus universis, quod nullus legendo, determinando, respondendo audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina continetur, et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome communiter creditur extitisse, nec determinare presumat nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sententiam in hiis, que ad fidem vel mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicumque autem per provincialem vel eius vicarium, qui super hiis requirere teneantur, ex certa sciencia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem cum legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam, si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus scandalum sit subortum, volumus, quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur².

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales et diffinitores capitulum provincialium teneantur tam de lectoribus quam sublectoribus sufficientibus providere, de quorum sufficiencia per preceptum inquirere teneatur provincialis in sua visitatione, et ipse cum diffinitoribus in provinciali capitulo a fratribus litteratis et fide dignis, qui super hoc valeant testimonium ydoneum perhibere. Ipsi autem lectores et sublectores assignati suas teneantur continuare lectiones; omnes vero fratres singulis diebus ad scholas vadant lectorum principalium, et ibidem lectiones audiant, alias illa die a vino vel pitancia sine dispensacione absterneant, si eos sine causa rationabili vel licencia speciali deesse contingat. Priores autem observatores ponant, qui in hoc excedentes notent et denuncient, et transgressores predictos taxatas penas faciant observare. Priores autem et eorum vicarii, qui inventi fuerint premissa cum diligencia non observasse et reos in hoc non punivisse, a suis officiis absolvantur in penam nec illo anno possint resumere ad officium prioratus vel etiam lectoratus, eorum autem vicarii locum presidentis tenere non valeant infra annum³.

Item. De mittendis ad studia ordinamus, quod nullus ad studium loycale mittatur, nisi saltem in ordine duobus annis fuerit religiose conversatus vel alias in seculo fuerit etate proventus et in grammaticalibus sufficienter instructus. Ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi in grammaticalibus et logicalibus fuerit sufficienter instructus testimonio lectorum, magistri studencium et sublectorum, de cuius sufficiencia per preceptum a priore provinciali vel eius vicario, seu visitatore requiratur. Ad sentencias vero audiendas non mittantur fratres, nisi in naturalibus testimonio premissorum sub precepto requisitorum fuerint sufficienter instructi. Volumus autem et ordinamus, quod in studiis tam logicalibus quam naturalibus, repetantur singulis diebus lectiones per magistrum studencium vel fratrem alium ydoneum, qui ad hoc officium per priorem, lectorem et sublectorem fuerit deputatus. Lectiones autem studentes in dictis studiis reddant suis magistris vel semel vel pluries in qualibet septimana. Ad generale autem studium nullus mittatur, nisi ordine premissis in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris et cursoris et magistri studencium per preceptum requisitorum de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoratus officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus magistri studencium ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputent omni septimana per totum annum saltem semel; illi vero, qui

¹ De s. Petro Caelestino cf. supra pag. 66 l. 6 sqq.

² De eodem argumento cf. supra pag. 308 l. 4 sqq.

³ Idem legitur in cap. praecedenti pag. 307 l. 22 sqq.

legerunt sententias in studiis theologie, anno sequenti sint ibi magistri studencium et philosophiam moralem legere teneantur. Qui autem positi fuerint ad legendum logicalia, legant totam logicam in duobus annis, et tam lectores quam studentes in logicalibus et naturalibus insistant potissime circa textum. Precipit autem magister ordinis in virtute spiritus sancti et sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium et visitoribus, quod ipsi de sufficiencia predictorum studencium in moribus et litteris et doctrina lectorum et modo legendi diligenter inquirant, onerans eorum consciencias apud deum, quod premissa omnia et singula observent et faciant communiter et [ab] omnibus observari⁴.

Item. Mandamus et iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod constitutiones de predicatoribus instituendis observent et faciant inviolabiliter observari, nec alicui committatur predicacionis officium, nisi sit vita et moribus approbatus, et antequam instituantur, examinentur et compellantur predicare coram fratribus in capitulo in latino vel vulgari, prout fuerit consuetum.

Item. Ad subtrahendum studentibus evagandi materiam ac discursus inutiles compescendos ordinamus et volumus, quod priores conventuales vel eorum vicarii fratres quibuscumque studiis deputatos extra terminos suorum conventuum licenciare non possint sine provincialis vel sui vicarii licencia speciali, nisi pro gravi infirmitate parentum vel eorum morte vel ad evitandum grave scandalum ordinis vel pro evidenti utilitate conventus.

Item. Ne studentes propter defectum librorum et aliorum necessariorum a suis studiis retrahantur, iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus eorumque vicariis, ut de libris necessariis secundum condicionem studii et studencium provideant, et in omnibus dictos studentes benigne pertractent et faciant pertractari.

Item. Cum servos dei non deceat litigare, inhibemus fratribus universis, ne coram quocumque conservatore ordinis per sedem apostolicam deputato pro quacumque causa vel negocio quamcumque personam citari faciant vel litem moveant sine sui prioris provincialis licencia speciali; qui dictam licenciam non concedat nisi causa prius diligenter examinata, si ipse cum consilio discretorum iudicaverit, quod sit necessarium pro honore ordinis litigare.

Inhibemus autem districtissime, ne fratres cessiones dubias a quibuscumque extra ordinem recipiant et in casu, quo cessiones omni carentes dubio receperint, ullo modo lites moveant pro eisdem. Fratres eciam singulares pro causis et negociis personas eorum tangentibus in propriis personis non litigeat coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis vel secularibus, sed omnia deducantur per communem syndicum, a priore cum consensu conventus vel maioris partis ipsius in capitulo deputatum.

Item. Mandamus et imponimus prioribus et fratribus universis, quod constitutionem de non procurandis promocionibus per personas extra obedienciam ordinis constitutas cum omnibus clausulis ibidem positis observent et faciant observari. Quicumque autem contrarium fecerint, preter penam ibidem taxatam, ipso facto gravioris culpe penam incurrant.

Item. Ne quid inhonestum in nostris fratribus appareat, quod oculos extraneorum offendat, imponimus prioribus universis et eorum vicariis, quod in combinacionibus fratrum extra conventum ad quecumque loca peregrincium diligenter advertant, quod semper altera pars copule sit honesta, segura et matura.

Quicumque autem frater petens licenciam eundi extra conventum socium determinatum sibi dari pecierit, ipso facto illo socio sit privatus nec ei possit per quemcumque presidentem dari in socium illa vice.

Item. Cum ex eo, quod aliqui extra commune dormitorium cameras habent et loca specialia ad iacendum, propter quod multe deordinaciones subsequuntur, inhibemus prioribus universis et eorum vicariis, ne alicui concedant alia loca extra clausuram dormitorii, nisi causa infirmitatis vel debilitatis notabilis vel fratribus emerite senectutis et illis, quibus racione gradus vel officii fuit actenus concessum communiter per ordinem, quod provideretur de loco vel camera speciali.

Item. Districcione omni, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi provideant et ordinent cum effectu singulari in provinciis suis, quod in eis studia particularia theologie, naturalium et loycalium habeant.

Item. Imponimus prioribus et supprioribus universis, quod acta capitulorum generalium et provincialium legi faciant in suis conventibus ad minus semel in quolibet mense et faciant a suis subditis observari. Quicumque vero contrarium fecerint, in penam a suis officiis absolvantur. Super quo visitatores diligenter inquirant et ad generale vel provinciale capitulum deferant, quos in hoc invenerint negligentes, et secundum culparum exigenciam puniantur.

Item. Mandamus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod conclusiones omnium privilegiorum ordini nostro per sedem apostolicam concessorum, que in suis conventibus habentur, integraliter mittant ad sequens capitulum generale.

Item. Ordinationem de fratribus fugitivis factam in precedenti capitulo generali volumus ab omnibus observari videlicet, quod fratres fugitivi et inutiliter sine suorum priorum licencia discurreres pena graviori culpe debita puniantur⁵.

⁴ Cf. supra pag. 309 l. 6 sqq.

⁵ Cf. supra pag. 310 l. 23 sqq.

Item. Ad refrenandum excessus quorundam abutencium graciis eisdem concessis, gracias omnes seu licencias generales vel exemptorias sub quacumque forma verborum concessas fratribus quibuscumque sive per magistrum ordinis sive per priores provinciales vel alios quoscumque revocamus et penitus annullamus, mandantes prioribus provincialibus, quod tales gracias seu licencias generales, per quas subditi a potestate prelatorum suorum eximantur, de cetero non concedant.

Item. Quantum possumus inhibemus, ne fratres post professionem in ordine nostro factam ad religionem aliam de licencia transeuntes, postquam in ea professionem expressam fecerint, recipiantur ad ordinem nostrum iterato.

Concedimus provincie Yspanie unam domum, ponendam apud Lapidem fixum.

Mandamus fratribus universis tam inquisitoribus quam aliis, ut mandatum apostolicum in presenti capitulo nobis factum de confutando hereses Dulcini et suorum seguacium⁶ diligenter in suis provinciis exequantur; quod ut melius fieri possit, precipit magister ordinis omnibus et singulis diffinitoribus, ut dicte littere apostolice copiam secum ferant et faciant ab omnibus prioribus in suis provincialibus capitulis copiari.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: regni Sicilie et facimus eum lectorem in conventu Adversano, et Ungarie.

Item. Priores conventuales Reginum, Mantuanum, Esinum, s. Severini, Faventinum et Ripanum.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in presenti capitulo non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Summa missarum pro vivis quinquaginta sex.

Summa missarum pro mortuis triginta tres.

Pro qualibet missa superius posita clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et conversus · c · pater noster et · c · ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Item. Mandamus fratribus universis, quod in omnibus missis conventualibus, postquam fuerit dictum pater noster, prostrati dicant psalmum: Letatus sum, cum versiculis: Salvum fac regem, etc. Salvum fac populum tuum etc. Fiat pax etc. cum oracionibus: Ecclesie tue; Hostium nostrorum; Deus, a quo sancta etc.

Iste sunt instituciones.

Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Grecie fratrem Nicholaum de Cortello de Candia, de provincia Grecie.

Item. Facimus vicarium generalem in conventibus Dalmacie fratrem Nicholaum de Ancona de provincia Lombardie inferioris.

Item. Ponimus vicarium generalem in societate peregrinancium propter Christum fratrem Iohannem Libellum de provincia Lombardie superioris.

Item. Instituimus vicarium in provincia regni Sicilie fratrem Franciscum de Ebullo, donec prior provincialis in dicta provincia sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Ponimus vicarium in provincia Ungarie fratrem Iohannem Iaurinensem, priorem Budensem, donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in Romana curia, tres florenos pro qualibet provincia pro anno presenti, et pro anno preterito tres alios florenos, qui non solverunt.

Item. Quelibet provincia duos florenos pro expensis factis per cum pro litteris papalibus privilegiorum et quibusdam aliis. Qui vero non solverunt sub eodem tenore precepti infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Raffo⁷, quondam provinciali Grecie, qui obiit anno preterito redeundo de capitulo generali.

Item. Pro fratre Iohanne de Turre priore Toletano, socio diffinitoris Hispanie, qui obiit veniendo ad presens capitulum generale. Sentencias iudicum approbamus.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi fratrem Franciscum de Utino⁸.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius anno isto fratrem Bonifacium de Picena de Romana provincia⁹ et quantum nostra interest, assignamus ad legendum ibi sentencias pro anno sequenti fratrem Bartholomeum de Ansiacho¹⁰ de provincia Francie ordinantes, quod si dictum fratrem Bartholomeum casu aliquo contigerit impediri, frater Iohannes de Siaco¹¹ leget ibidem loco eius.

⁶ De haeresi Dulcini cf. MÖHLER Kirchengeschichte II, 631.

⁷ De fr. Raffo de Magdalena cf. supra pag. 267 l. 24.

⁸ De fr. Francisco de Utino cf. DENIFLE Archiv II pag. 225.

⁹ De fr. Bonifacio de Picena cf. supra pag. 311 l. 24.

¹⁰ De fr. Bartholomaeo de Ansiacho cf. DENIFLE l.c. pag. 223; Chartularium l.c. pag. 604.

¹¹ De fr. Ioanne de Siaco cf. DENIFLE l.c. pag. 648

Assignamus ad legendum bibliam Parisius isto anno fratrem Iohannem de Celleriis¹² de conventu Metensi, et eidem substituimus et assignamus ad legendum ibidem bibliam fratrem Iohannem de Auriaco de conventu Parisiensi, ut legat in casu, quo dictum fratrem Iohannem de Celeriis contingeret impediri.

Assignamus lectorem in conventu Avinionensi fratrem Bernardum Baliste, magistrum in theologia.

Item. Fratrem Guilielmum Grossi, priorem Avinionensem, absolvimus ab officio prioratus et eum conventui Montispessulani pro lectore assignamus.

Denunciamus fratribus universis, quod nos ad petitionem serenissimi principis et magnifici Caroli regis Romanorum illustris assignamus et ponimus studium generale in conventu Pragensi de provincia Bohemie; dicto autem conventui Pragensi lectorem assignamus fratrem Iohannem de Tambaco, magistrum in theologia in provincia Theutonie¹³.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, cursoribus et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus univrsis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sententiam iuridice excommunicationis late sentencie, ipso facto noverit se incurrisse, quam sententiam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sententia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis priori provinciali provincie Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuam, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinationem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi, a magistro ordinis quibuscumque concessam, revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu. Concedit tamen magister ordinis provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire.

Postquam vero fratres, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore statuta et ordinationes in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Lugdunensi in provincia Francie, et volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui sequenti anno diffinient, illuc veniant dominica infra octavam ascensionis.

Nullus autem frater alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante · vi · feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de suo conventu iter arripuerit, ipso facto est voce privatus, ad quam restitui non potest nisi per magistrum vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Bononiam celebrati anno domini · m° · ccc° · xlviio ·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCI.

¹² De fr. Ioanne de Celleriis cf. DENIFLE l.c.n. 619.

¹³ De fr. Ioanne de Tambaco cf. DENIFLE l.c. pag. 603 sqq.